

2 Actio moralis est motus hominis ad bonum vel malum morale determinatus.

S C H O L. Differt à naturali & artificiali. Naturalis actio est determinata, sed non nisi ad bonum vel malum naturale, unde nec laus nec vituperium existere potest. Artificialis determinata est ad bonum vel malum artificiale, quod ad mores nihil confert. Porro ex actione morali iudicium fieri potest de habitu, siquidem ex abundantia cordis os loquitur, Matth. 12. v. 34. Instituitur autem actio moralis boni alicujus assequendi causa, oriturque ab hominis natura, intellectu & libero arbitrio, accedente disciplina & laudis stimulo. Natura requiritur, ut inclinatio, propensio & ἐπιτηδεύσις sit ad hanc actionem; estque eò præstantior, quò corporis dispositio & humorum κρῆσις est temperatior. Mores enim, ut habet illud Galenicum, sequuntur corporis temperamentum. unde videmus, alios à natura magis ad hanc vel illam virtutem, magis ad hoc vel illud vitium propendere. Intellectu etiam opus est, siquidem actio moralis nulla esse potest, nisi præeunte cognitione boni & mali, quam sequitur approbatio & rejectio, persecutio & fuga, seu, ut uno verbo dicam, liberum arbitrium. Ut autem liberum arbitrium ad bonum feratur, opus est δυσ-λία, id est, bonam consultationem, de qua Aristot. lib. 3. Ethic. Nicom. cap. 5. quæ est in rebus nostræ potestati subjectis, videlicet in inquisitione honestorum & idoneorum mediorum, eorundemque inventorum usu & applicatione, quam ad rem tempestivam celeritate & prudenti tarditate opus est juxta illud: πρὸς δὲ βροδίας, id est, festina lente. Priusquam enim incipias, consulto; & ubi consulueris, mature factum opus est. Consultationem excipit προαίρεσις, præelectio, quæ est ὀρεξις βουλευτικὴ τῶν ἐφ' ἡμῖν, & appetit media illa per consultationem inventa. Præelectionem tandem sequitur finis ipse. Atque hæc sunt actionis moralis principia, ex quibus etiam hoc satis constat, hominem esse ἀρχὴν suarum actionum.

3 Actio